Ego Robertus comes frater ludovici regis. et ego Agnes comitissa brane. notum fieri volumus universis quod elemosina quam
fecerunt premonstratensi ecclesie adam de noua villa et uxor eius ada in terris. in uineis. in domo. in torculari. et
in omni supellectili domus. laudauit et concessit coram nobis nicholaus frater Radulphi de sarto et uxor eius Agnes. de
cuius patrimonio prefata elemosina fuisse cognoscitur ita quod in uita sua iam dicti nicholaus scilicet et agnes. predictam
domum ad manendum habebunt. post decessum eorum ad premonstratensem ecclesiam libere redituram. Quod si etiam sepe dicta
agnes absque herede uiri sui morte preuenerit ipse uir sine omni dilatione ipsam domum ecclesie premonstratensi reddere
et in perpetuum relinquere non tardabit. Si uero heredem habuerint. predictus nicholaus in uita sua sepe dictam domum habebit.
sed eius heres post mortem ipsius nicholai nullatenus eam retinebit sed illam premonstratensis ecclesia perpetuo possidebit. Quia uero
predictum torcular infra ambitum dicte domus remanere nec ut parti esset incommodum ipse nicholaus ad collocandum torcu-
lar fratribus premonstratensibus dabit competentem locum. Siquis autem super hiis premonstratensem ecclesiam inquietare presumpserit. contra omnes qui iusticie
stare non recusauerint. warandiam ipsi ecclesie perenniter exhibebimus. Quia uero elemosina illa de feodo nostro descendebat ego. R.
comes. et ego. A. comitissa nec non et filii nostri Robertus. Willelmus. Johannes ipsam prefate ecclesie perpetuo possidendam
concessimus. Quod ut apud posteros nostros inconcussum permaneat. sigillis nostris et testibus legitimis presentem paginam
communire curauimus. ea siquidem deuotione ut in sepe dicta ecclesia anniuersarium filii nostri per annos singulos
pagatur. Testes huius rei ludouicus abbas brane. Magister Galterus. Radulphus de sarto. hugo de basei. Ursus
de marguial. Uermundus ballar. Albericus de lullei

Actum est hoc anno incarnationis dominice. M. C. LXXX IIII.